

runt singuli, quanta Dominus commoda per egregiam huius Viri fortitudinem paraverit. Cives enim Jabeschi omnes Ammonitis, qui nimis crudeliter cum iis acturi erant, felici admodum dextrâ eripuit Saul, & circumquaque contra omnes suos inimicos insurgens eos inquietavit, liberans sic Israelitas ex manu diripientium eos. Conf. *1. Sam. IX. X. XI. XII. XIV.*

§. III. Ad eò benè ipsi cesserant omnia. Sed num piæ gratæ q̄; mentis acerram Deo suo obtulit magnus hic Israelitarum Rex? Equidem ipsi id vel maximè incubuisset. Verùm recessit tunc à meliori viâ, quam sic satis strenuè hætenus calcaverat. Serium hoc fuit Jehovæ mandatum, ut Amalekitas Saul percuteret, eosque ac omnia eorum bona perditioni devoveret. At præcepto hoc posthabito clementiâ profecutus ille est Agagum, pepercitque optimis gregibus ovium & armentorum ac omnibus, quæ bona agnovit, nec internecioni cuncta tradidit, prout jure debuerat. Indeque summus ipse Deus testatur, poenitentiâ se duci, quod Saulem Regem constituerit, eum quippe jam à se recessisse, non præstando ea, quæ ad eò severe præcepta ipsi fuerant. Id proinde Sauli annunciavit Samuel, eumq̄; simul reddidit certiorum, ablatum mox ab eo regnum traditumq̄;ve iri proximo ejus, qui ipso longè melior sit, *1. Sam. XV, 26.*

§. IV. Graviter satis punitus erat inobediens Saul, cum Regni ab ejus domo ablatio (quæ reapse etiam illius mortem excepit) illi nunciaretur. At justitia Dei punitiva ulterius ipsum infectata est, dum scilicet hoc, de quo in præsentia agimus, malum ipsimet inflixit. Id autem & in *boni* privatione & in *mali* positione constitisse è sacro Textu colligimus.

§. V. Bonum, quo carere necesse habuit, Spiritus Domini fuit præsentia. Hic enim ab ipso recessit. Quæritur autem,

tem,